

L I B E R III.

DE

I V R E A D R E M.

T I T V L V S I.

DE

OBLIGATIONE IN GENERE, SPECIATIMQVE
P A C T I S.

IVS AD REM est, quod mihi personam contrahentem aut delinquentem ad aliquid dandum vel faciendum deuinctam reddit, et producit actiones personales.

OBLIGATIO est vinculum iuris, quo quis alteri adstringitur ad aliquid dandum vel faciendum vel praestandum. (x) *sive melius et brevius e. imminutio libertatis.*

Haec est

a) vel Naturalis, qua quis ex mera aequitate naturali ad aliquid praestandum obstringitur.

Quae

vel Plena, s. Perfecta, quando quis naturali iure ad quid praestandum obligatur, et alteri ius exigendi tribuitur.

Talis est obligatio ex pacto nudo.

vel Minus Plena, s. Imperfecta, cuius observantiam nobis naturalis aequitas commendat, sed alteri ius exigendi non tribuit.

Vt in obligatione ad *αυτὶδαρκα*.

vel Civilis, quando quis ex mera Iuris Civilis subtilitate citra naturalem aequitatem ad aliquid praestandum obstringitur.

Talis obligatio est, quae descendit ex negotio coacto, dolo aut errore vel spe futurae numerationis inito.

vel Mixta, quando quis ex Iure naturali et civili simul ad aliquid praestandum obstringitur.

Quo

(x) Lib. 3. tit. 14. Inst. de Obligat. et Lib. 44. tit. 7. ff. de Obl. et Act.